Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1767
Quelle:
Copyright:

Spes, Fides insistunt tectum rotundum manibus sublime sustinentes. Subter Columba candida stans adparentibus utrinque Fortitudine, Prudentia, Justitia et Temperantia suis quaque insignibus noscenda. Infra Columbam basis geminum opus ἀναγλυφον continet, superius quidem Cadaver in feretro Clero, populoque circumfusum, inferius Hominem thalamo compositum obversantibus ei 7. Stellis, et totidem viris eminus stantibus. Et prius quidem Defunctum *Parisiis* e feretro damnationem suam proclamantem, quo ostento D. *Bruno* motus Eremum petierit, interpretor, quamvis ostentum istud maxime a *J. Launojo* impugnatum fuerit, alterum Somnium *Hugonis* Ep. *Gratianopolitani*, quo, antequam *Bruno* cum 6. Sociis ad se accessisset, sibi visus est videre 7. Stellas ante se prociduas. Atque ex his jam liquet, ad *Carthusianos* Codicem pertinere, id quod convalescit e *fol.* 7. p. 2. ubi citatur Liber *de uita christi domni Ordulphi* (Ludolphi) *monachi ordinis nostri carthusiensis*. Videmus *Carthusianum; Italum* probabo. *Fol.* 8. inter libros legendos commendantur *Opera Vgonis Pancere;* at is Frater laicus O. M. fuit, et XIII. Tractatus asceticos italice scripsit *Florentiae* 1492. typis editos. *Fol.* praeced. p. 2. de linguae latinae ignaris Fratribus dicitur: *Quoadusque addiscant, materna lingua libros conscriptos legant, ut sunt Mons uirtutum, Mons contemplationis et similia Opuscula.* Haec ego quidem non vidi, interim vix dubium, esse talia, qualia *Antonii Senens. Monte santo di Dio*, item *Monte d' Orazione* &c. *Fol.* 18. ubi de *Carthusianorum* Vestimentis res est, memorantur *Vardacorium* et *Stafae*, primum dialecto *Veneta* pro *Guardacuore*, id est, Thorace protegendo pectori, alterum pro genere calceorum *senza peduli*, ut exponit Vocabularium *della Crusca* dictum. His jam pensatis suspicari liceat, Autorem Operis esse *F. Johannem de Deo* Domus *S. Andreae de Litore Venetiis* alumnum, de cujus piis Opusculis a *Nic. Jensono* sub Typographiae exordia eleganter ibidem excusis plura dixi in *Suffragio pro Joh. de Spira primo Venetiar. Typographo.* Referunt illa etiam *Trithemius* in *Scriptt. eccl. n.* 905. et *Petreji Bibl. Carthusiana*, et quamvis de praesenti, fortasse, quod typis vulgatum nunquam fuit, taceant, addunt tamen, *Johannem* varia alia conscripsisse. Cujus vero tandem generis Opus istud? Asceticum est, nullo titulo generali insignitum, constans III. *Libris*, quorum I. per allegoriam Columbae 7. Virtutes in prima Icone supra depictas explicat, II. per allegoriam Pulli asini, quo vectus est Christus, *Carthusianorum* ordinem diurnum in exercitia mentis et corporis tributum exponit, III. Contemplationum materiam praecipue e Vita Christi subpeditat, admixtis etiam passim Precum formulis. Prologi *Libri* I. initium est: *Volui idcirco filij dilectissimi san-*